ACTA SYNODI DIOECESANAE COLONIENSIS HABITAE SECVNDA OCTOBRIS,

Anno Domini 1548. sub Reuerendissimo & Illustrissimo Domino Adolpho, Colonien. Archiepiscopo, & Sacri Imperij per Italiam Archicancellario. Principe Electore &c.



Cum Gratia & Priuilegio Cæsareæ ac Catholicæ Maiestatis, excudebat Iaspar Gennepæus. Anno Iesu Christi. M. D. XLVIII.

UNIVERSITAT DE VALÈNCIA

ACTA SYNODI DIOECESANAE COLONIEN.

HABITAE SECVNDA OCTOBRIS,

Anno Domini 1548. sub Reuerendissimo & Illustrissimo Domino Adolpho, Colonien. Archiepiscopo, & Sacri Imperij per Italiam Archicancellario, Principe Electore &c.



Cum Gratia & Priuilegio Cæsareæ ac Catholicæ Maiestatis, excudebat Iaspar Gennepæus. Anno Iesu Christi. M. D. XLVIII.

BIBLIOTHECA UNIVERSITATIS

VOCATIO
ORDINVM ECCLESIASTICO-
rum ad Synodum, secunda Octobris celebrandam.

DOLPHVS DEI *gratia sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Sacri Romani Imperij per Italiã Archicancellarius, Princeps Elector, Vuestphaliæ & Angariæ dux, Legatusq; natus &c. Vniuersis & singulis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, tam Collegialibus q̃ Ruralibus, Ecclesiarumq; Parochialium Rectoribus, Monasterijs & Conuentibus, & alijs, qui Synodo nostræ Episcopali de Iure uel consuetudine interesse consueuerunt & debent, Salutem in Domino sempiternam. Benedictus Deus & pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra. Is superioribus diebus Ecclesiam suam iam multos annos ab insanis & sceleratis hæreticis nostri temporis, grauiter & miserabiliter diuexatam & afflictam, ex infinita sua misericordia respiciens, per religiosam Christianissimi & clementissimi Imperatoris nostri* CAROLI QVINTI *solicitudinem, mirifice consolatus est. Vnde nos plurimũ gaudere & exultare in Domino debemus, ipsi gratias agentes, quod nauiculam suam spiritualium uentorum & procellarum turbine dire conquassatam, ac in medijs fluctibus periculosissime & pene ad desperationem usq; laborantem, secundum ueracissimam promissionem suam non deseruerit, reddita ei spe securitatis, maxima & certa fiducia ex hac sæua & horrizona tempestate semel tandẽ emergendi, & ad portum Catholicæ tranquillitatis & pacis cœlesti fauore feliciter pertingendi. Audistis enim haud dubium omnes, & q̃ plurimi ex uobis scripto etiam cognouerunt, quemadmodum Inuictissimi & excellentissimi Principis pietas spiritu Dei incitata, in proximis Augustensibus Comitijs Religionis reparandæ restituendæq; causa a se clementissi-*

me indictis, omnem animi ac consilij sui uim eo intenderit, ut sua prouidentia omnem dissensionem contra integritatem fidei & Religionis Catholicæ, a schismaticis & pestilentissimis apostatis in hac inclyta Natione nostra perniciosissime excitatam, restingueret ac sopiret, nihilq; in Catholica Ecclesia impacatum relinqueret, quod ad suam gloriam q̃ maxime pertinere existimaret, ut cuius tutelam a Deo suscepit, eam e captiuitate uere Babylonica in pristinam uindicet libertatem. Qua in re bonum profecto initium fecit, quando inter cætera in sua Imperiali Declaratione (quomodo in negocio Religionis per Imperium, usque ad Definitionem Concilij generalis uiuendum sit) a communibus Imperij Statibus, qui Ecclesiæ Catholicæ institutiones & Decreta hactenus obseruauerunt, clementer requisiuit, ut eadem deinceps in suis Ditionibus religiose obseruent, constanterq; teneant, & a suis subditis obseruari & teneri faciant, nec se auelli ab eis ullo modo patiantur, aut omnino quicquam immutent, adempta eis facultate nouos ritus ubilibet sectandi uel retinendi. Quod & Status isti Catholici (e quorum numero DEI benignitate & nos sumus, & eodem bene fauente perpetuo erimus) se facturos & perseueranter obseruaturos esse iam ante obtulerunt, & requisitione facta libenter receperunt. Porro cum sua Maiestas sapientissime secum considerasset, omnium harum calamitatum & malorum, quibus Ecclesia Catholica tam diu iacuit oppressa, unicam causam esse iniquitates, scelera & peccata nostra præterita, ob quæ, ut Propheta ait, stillauit super nos maledictio & detestatio, quæ scripta est in libro Moysi serui DEI, ea de re ad Reformationem morum ac disciplinæ Cleri animum imprimis appulit, ueluti ad unicum remedium, quo mediante, excisa omnis mali causa, finem denique malorum omnium inde promanantium DEO propitio certissime sperare possimus. Formulam igitur quandam Reformationis, a uiris Catholicis & Theologis sacrarum literarum peritia, & singulari fide, & ueræ Religionis zelo præditis, conscriptam, Statibus Ecclesiasticis, hoc est, nobis, Archiepiscopis, Episcopis, alijsq; Ecclesiarum Prælatis, in memoratis suis Augustensibus Comitijs, ad deliberandum proposuit. Qui nobiscum perpendentes, quantum præsidij Dominus Ecclesiæ suæ in eius clementia præpararit, Formulam istam diligenter uisam & perspectam, quo paci publicæ consuleremus, & per eam Ecclesiarum & Clerorum

nostrorum utilitati commodius prouideremus, uti diuinis literis & sacris Canonibus consentaneam probauimus, eamq; singuli in nostris Ecclesijs & Diœcesibus debitæ executioni per Synodos cum Episcopales tum Prouinciales, ut ea res postulat, intra præstitutum tempus demandare uelle promisimus. De his igitur tam pie & religiose gestis, uos omnes & singulos certiores reddentes, in uirtute sanctæ obedientiæ Autoritate nostra Archiepiscopali in Domino requirimus & monemus, imprimis, ut secũdum Cæsareæ Maiestatis seriam Declarationem & mandatum Ecclesiæ Catholicæ Institutiones & Decreta, tam in doctrina q̃ Sacramentorum administratione & Disciplina, in Ecclesijs, Monasterijs, Sacellis & Oratorijs uestris, ac alias ubilibet, posthac religiose obseruetis, constãterq; teneatis, obseruariq; & constanter teneri faciatis, neque ab eis ullo modo uos auelli, uel immutari quicq̃ patiamini. Deinde simili modo requirimus uos & monemus, ut ad alteram diem post Remigij confessoris, quæ est secunda Mensis Octobris, quam celebrationi Synodi nostræ Episcopalis pro executione memoratæ Reformationis, ut hactenus quoq; semper fuit, destinatã præfixamq; esse uolumus, in Ciuitate nostra Coloniensi, omni excusatione remota, obedienter compareatis, audituri a nobis, & facturi nobiscum omnia, quæ ad extirpationem errorum, & consentientem diuinorum Sacramentorum, & Ecclesiasticorum officiorum administrationem, morum correctionem, salutarisq; disciplinæ obseruationem, secundum eiusmodi Ecclesiasticæ Reformationis tenorem, ac sacras scripturas, & scita sacrorum Canonum necessaria uidebuntur & opportuna. Ne uero quisquam tum, per obtensam ignorantiam Reformationis huius quoquo modo sese ualeat excusare, mittimus uobis & uestrum cuiuis, secundum suum munus & officium, unum uel plura eiusdem Reformationis exemplaria, inter suos suæq; curæ commissos publicanda & distribuenda, præsertim per uos Decanos rurales in Ecclesiarum Parochialium Rectores sub uestris Decanijs commorantes. Vos nihilominus omnes & singulos prædictos in Domino fideliter exhortantes, ut statim exemplaribus istis acceptis, ad illorum præscriptum, uitam, mores, & officium uestrum exigatis, & quæ secus habent, quæq; aduersus ea & Ecclesiæ Catholicæ sacrorumq; Conciliorum Instituta in Ecclesijs, Monasterijs, Sacellis & Oratorijs uestris, recens post ortam in Religione dissensionem, qualitercunq; inuecta

seu introducta fuerint, quantum in uobis est, e medio tollatis: quod si minus poteritis, saltem eos, qui in hac re uobis obsistent, aut secundum hanc formam se reformare detrectabunt, nobis in futura Synodo, ut uel nostra authoritate coerceantur, uel Cæsa. Maiestat. secundum iussionem eius nobis desuper factam indicentur, denuncietis. Omnino cauentes ne quisquam uestrum gratia aut formidine potestatum secularium se deprauari sinat, ut a ueritate abscedat. Certificãtes etiam uos omnes & singulos prædictos præsentium per tenorem, ut siue ad præfixam Synodo diem comparea tis siue minus, Nos nihilominus ad executionem Reformationis prædictæ ex officio nobis iniuncto per remedia opportuna processuros esse, præfractariorum contumacia non obstante. In fidem & testimonium præmissorum, præsentes nostras literas, sigillo nostro subimpresso fecimus communiri. Datum in arce nostra Bruelensi, prima mensis Septembris, Anno domini Millesimo, quingentesimo, quaragesimo octauo.

MANDATVM
DE ABIICIENDIS CONcubinis.

ADOLPHVS DEI GRATIA Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Sacri Romani Imperij per Italiam Archicancellarius, Princeps Elector, Vuestphaliæ & Angariæ dux, Legatusq; natus &c. Omnibus & singulis Præpositis, Decanis, Canonicis, Plebanis, alijsq; Collegiatarum & Parochialium, ac Capellarum rectoribus, Vicarijs, Presbyteris & Clericis uniuersis, nostrarum Ciuitatis & Diœcesis Coloniensis, & uestrum cuilibet, Salutem in Domino. Etsi ex Reformatione Cleri per Cæsareã Maiest. Dominum nostrum clementissimum in proximis Augustensibus Comitijs Ecclesiasticis Statibus proposita, & ab eisdẽ expensa, probata & recepta, quam uobis suæ Maiestatis iussu duximus intimandam, cognoscere abunde possitis, qualem uos post hac uitam instituere, quibus moribus ornatos & præditos esse, & quæ uitia, ne cuiq; offendiculo sitis, cauere oporteat. Nihilominus tamen cum inter omnia crimina nullum fere sit quod Clerũ fœdius apud populum traducat, & maius in plebe scandalũ pariat, q; scortatio manifesta, uisum est nobis operæpreciũ, ut quod maiorem prabet Ecclesiastici ordinis nontemnendi materiã, specialiori & accuratiore animaduersione coerceamus. Quamobrem non modo Concilio generali & sacris Canonibus, nostrorumq; prædecessorum constitutionibus super hac re æditis insistentes, sed & Reformationem memoratam in hoc articulo, sub titulo, De disciplina Cleri, cuius initium est: Porro quis ferendum putet, ut scortationi indulgeant & adhæreant concubinis &c. (quem diligenter perlegere, & animis uestris infigere debetis) exequi, ut tenemur, uolentes. Harum literarum nostrarum tenore statuimus, uolumus & mandamus, ut omnes & singuli sacris ordinibus initiati, Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, cuiuscunq; dignitatis, status, gradus uel cõditiõis fuerint, quibus cõcubinæ uel fœminæ de incõtinentia suspectæ, seu quarum nomine ipsi ante hac de fornicatiõe diffamati fuerunt, manifeste cohabitant, eiusmodi mulieres a se e domibus & Parochijs suis intra nouem dierum spacium post receptionem & publicationem præsentium, quorum tres pro prima, tres pro secunda, & tres pro tertia peremptoria & canonica monitione ipsis præfigimus, omnino amoueant & expellant. Alioqui sententiam suspensionis ab officio & beneficio, iuxta dictæ Reformatiõis tenorem (quam propter hoc in eos ferimus in his scriptis) se nouerint incurrisse. Mulieres autem eiusmodi, si post istos nouem dies in domibus seu Parochijs horum Clericorũ repertæ fuerint pmansisse & permanere, per Collegiales & Christianitatum ipsorum locorum Decanos, auctoritate nostra excõmunicentur, & excommunicatæ publice nũcientur. Volumus quoq; ut Ecclesiarum Prælati memoratas pœnas diligenter exequantur, alioqui nos eorũ negligentiam suppleturi, inobedientes secundũ Canonicas sanctiões puniemus, ut pœna docẽte bene agere, & a malo desistere, & a peccatis abstinere discant. Inũgimus etiam Prælatis ipsis & Christianitatũ Decanis, ut ad proximam per nos indictam Synodũ nobis indicent, quinam Clericorum prædictorũ huic nostro mandato intra tempus præscriptum parere & obtemperare neglexerint, ut contra tales ulterius ad Beneficiorũ priuationẽ, aliasq; duriores pœnas secundũ dictæ Reformationis præscriptũ procedamus. In hoc facturi nostram, imo sacræ Cæsa. Maiest. mentem & expressam uolũtatem. In fidem præmissorũ, præsentes nostras literas, sigilli nostri impressione fecimus cõmuniri. Datum in arce nostra Bruelensi, prima mensis Septembris, Anno Domini 1548.

SEcunda Octobris die, præsentibus & ordine compositis in choro Cathedralis Ecclesię Patribus & Dominis, quos Reuerẽdissimus Archiepiscopus ad celebrandam Synodum acciuerat, cum reliqua Cleri & populi omniũ qui interesse uolebãt multitudine, mane sub horam sextam, Missa de S. Spiritu solenni ritu peracta est, quam benedictio Archiepiscopalis subsequebatur. Et ubi Archiepiscopus rursus in locũ suũ redijsset, reuerendus D. Ioannes Noepel a Lippia, Episcopus Cyrenensis, & reuerendissimi D. Archiepiscopi Suffraganeus, ab ipso Archiepiscopo iussus, causas exposuit huius conuẽtus: nempe ut synodi Patres ad exemplum sanctorum Apostolorum, qui difficili aliquo casu suborto, synodum cogere solebãt, in qua de Religionis negocijs communibus consilio Patrũ communi decerneretur: & ipsi quoq; inuocato nomine Christi, qui præsentiam suam ad finem usq; seculi Ecclesiæ suæ pollicitus esset, & se adfuturum in medio eorum, qui in ipsius nomine cõgregarentur, nunc in commune conferrẽt, quanam ratione censerent, tot hæresibus & schismatis discerptæ, & dormientibus hominibus afflictæ, totq; uicijs Cleri & populi contaminatæ Ecclesiæ, consuli posse, quo uicijs & hæresibus sublatis, tranquillitati & splendori suo Ecclesia Christi tandem aliquando restitueretur. Ad quam rem uti omnia consilia & studia sua, omnemq; animi uim, pro suo quisq; munere intenderent atque conuerterent, graui oratione synodi Patres ex Archiepiscopi nomine adhortabatur.

Post quem honorabilis D. Sebastianus Nouimola, sacræ Theologiæ Licentiatus, & Ecclesiæ Cathedralis Presbyter Canonicus, conscenso suggestu, concionem latinam & piam habuit: qua synodi patres omnemq; Clerum exhortaretur ad studium Religionis & sacrarum literarum resumendum: quibus solis armis impij aduersariorum Ecclesiæ conatus elidi possent atq; confringi, quibus & in ipsosmet retorqueri possent tela, quæ perperam aduersarij in catholicos iacerent: ac laudauit interim Ecclesiæ Coloniensis in fide & religione Christi orthodoxa perpetuam atq; immobilem constantiam, a qua primum Ecclesiæ Catholicæ hostes didicissent per hanc tempestatem, & sub totius orbis Christiani testimonio experti iam essent, se posse superari ac fugari.

Orationem dictam laudauit reuerendus D. Suffraganeus, ac mox subiecit, Quod cum Concilium œcumenicum Tridenti per sedem Apostolicam indictum, feliciter cœptum, & sessionibus aliquot habitis celebre factum, e quo omnium animi pendere uiderentur, ignotum qua diaboli inuidia, suspensum iam hæreat, nec sortiatur progressum, & Cæsa. Maiest. D. nostrum clementissimum, ne grauiores per hanc tam longam atq; periculosam necessarij Concilij suspensionẽ, perturbationes in Imperio, uarijs hæresibus ac dissidijs plus satis iactato, subnascerẽtur, Statibus Imperij Ecclesiasticis proposuisse Reformationẽ quandam expendendam, secundum quam, si sacris Canonibus consentanea uideretur, suas quisque Ecclesias in religione & officio continerent, ac regerent, donec Concilium generale finiretur, & dissidia hæc tolleret. Quam, quum Ecclesiasticorum omnium iudicio uisa fuisset e scripturis diuinis, Patrum traditionibus & sacris Canonibus congesta, atque ad disciplinæ Ecclesiasticæ restitutionem & emendationem uiciorũ non parum allatura, ipse Reuerendissimus Dominus noster, una cum alijs Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, omnibusq; Ecclesiastici ordinis Statibus receperit atq; acceptarit, ad definitionem usq; œcumenici Concilij, in tota Diœcesi & Prouincia sua obseruandam, eaq; de causa ipsam omnibus sibi subiectis Diœcesanis, quos ad præsentem Synodum conuocasset, transmiserit. Verum, ne cui uideatur hoc pacto non satis legitime publicata, & ne quis eius ignorantiam causari possit, uel ipsam subterfugere, iuberet modo Reuerendissimus D. eam & in præsenti Synodo legere palam & publicare.

Quibus dictis statim conscendit suggestum Magister Petrus Cosfeldiæ, Capituli Metropolitani Secretarius, & alta inde uoce totam Reformationem illam ad finem usque legit, & publicauit.

Facta publicatione, Reuerendiss. D. Archiepiscopus iussit, ut ad Synodum uocati, & quibus Synodi actionibus interesse liceret, ingrederentur domum Capitularem, ubi de negocijs Synodalibus tractaretur, & de causis ad Synodi cognitionem, & uiciorum emendationem inquireretur, & consilio communi decerneretur.

Processerunt itaque Abbates, Præpositi, Decani, & Patres ad Synodum conuocati, e Choro ad domum Capitularem, Primoribusq; cum Reuerendiss. Archiepiscopo sedentibus, ceteris

teris uero ob loci angustiã stantibus, inuitabat Reuerendiss. D. Archiepiscopus per suum Suffraganeum oẽs ad conferendũ de pertinentibus ad Cleri & populi reformationem, uiciorumq; emendationem. Ibi primum interrogati propius assidẽtes, professi sunt, se uelle seipsos suosq; subditos ad modum prescriptę ac publicatę Reformationis, quantum in ipsis esset, per gratiam Dei, componere: ac omnẽ dare operam, ne quid in eis desideraretur. Cœptum quoq; est inquiri de uicijs. Sed quoniã iam multum temporis elapsum erat, & in meridiem usq; actio deducta, iussi sunt ad horam sextam alterius diei redire, & Synodi negocia prosequi.

Postridie tertia Octobris, oĩbus ad eundẽ locum reuersis, Reuerendus D. Suffraganeus iussus quæ in mandatis habebat exponere, retulit Reuerẽdiss. D. Archiepiscopum ita secum firmiter constituisse, ut quoniam a capite ad membra inferiora dignum esset reformationẽ ordiri, se diligenter curaturũ, ut quæ Archiepiscopalis sui officij sint minime negligãtur, nec temporalia spiritualibus pręponiturę. Pertinere aũt ad suum officium, celebrare Synodos, cui negocio intentus ipse iam esset: uisitare diœcesim, quod exequi proposuisset primum in ipsa Metropoli: & ubi cõmode intra urbem uel extra uisitare ipse non posset propter negociorę multitudinẽ & magnitudinẽ, q̃ indies incidrẽt, decreuisset per idoneos Visitatores, q̃ ad ipsum pertinerẽt, implere oĩa & exequi: Confirmare baptizatos, & ordinare Ecclesiæ ministros: in quo negocio opera uteretur sui Suffraganei: Ius dicere, in quo Officialium suorum opera uteretur. Si uero quis in ipsomet Domino Reuerendiss. uel eius Vicarij, & Officialibus emendatione ac correctione dignum aliquid animaduertisset, oraret ut is hoc ipsum proponeret, uel suã Gratiã reuerẽdiss. admoneret, se equanimiter auditurę, & laturũ quodcunq; illud esset, & daturũ operam, ne quis merito de se queri posset: nec passurum aliquid, quod in sua potestate esset, a quoq; merito desiderari: nec gratum sibi fore, si qui Officialium suorũ perniciosam negligentiam aut iniqua grauamina dissimularẽt. Idem erga seipsum fieri postulabat D. Suffraganeus, & uideri sibi uerisimile aiebat, se non omnibus in docendo & Pontificalia exercendo satisfacere, cũ sibij ipsi nõ satisfaceret, etiã ubi alijs satisfacere uideretur. Admonitori inquiebat, se gratiam habiturum, & meliora libenter amplexurum.

Regressusq; ad ea, quæ prius cœperat nomine Reuerendissimi Archiepiscopi exponere, subdidit, Cæsaream Maiestatem in hac Reformatione Episcopis dedisse negociũ, ut si quæ in sacræ Missæ officium, uel horas Canonicas inutilia, aut quæ parum ad pietatem & ædificationem conferrent, postrema hac ætate irrepsissent, ea repurgarent, atque ad ueterum & probatissimorum codicum fidem restituerent: quo non nisi pura, emendata, & sacra existerent, quę in officijs diuinis recitantur. Quod licet multum temporis ac laboris requireret, decreuisset tamen Reuerendissimus Dominus Archiepiscopus, adhibitis ad id negocij uiris pijs & doctis, sedulo curare, atque ad proximam Synodum prouincialem, si expediri interea temporis negocia tanta queant, publicare. Quod præterea Cæsarea Maiestas Episcopis in Reformatione imposuisset, ut Ecclesijs neglectis, & debitis obsequijs fraudatis, per occupatores plurium Beneficiorum, aut Ecclesiarum incorporatores, iuxta constitutionem Gregorij decimi in Concilio Lugdunensi, prouiderent de idoneis Vicarijs, quibus competentiam & congruæ portionis fructus assignent: & ubi tenuia sunt Beneficia, quæ uictum non suppeditent, ut per unionem talium curent secundum modum, quem præscribit Reformatio, quo habeant qui altari deseruiunt unde uiuant, nec causa relinquatur, cur non debeat uno quisque Beneficio merito esse contentus, decreuit quantum eius modo fieri poterit, in sua Visitatione exequi: & si cubi obstabit difficultas, per quam impediatur, eam ad futuram Synodum prouincialem referre. Hortaretur proinde, ut singuli ad hunc modum & eius exemplum, per lecta diligenter Reformatione, quæ sui muneris esse cognoscerent, ad se raperent, eisq; satisfaciendis atque implendis sedulo incumberent: Decani, quod est Decanorum: Canonici, quod est Canonicorum: Pastores, quod ad Pastoris & Concionatoris officium pertinet: qui ea etiã, quæ de disciplina populi præscripta sunt, diligenter populo inculcarent: ita futurum, ut pietas uera aliquando restituatur.

Quæ præfatus, censuit progrediendum ad inquisitionem de rebellibus, criminosis, & Ecclesiarę grauaminibus faciendã: iussitq; Reuerẽdissimus D. Archiepiscopus, quo sciret unusquisq; q̃ sibi cognita deferre ac proponere de Synodo deberet,

 prælegi

prælegi articulum, qui sub titulo, De synodis, in Reformatione habetur in hæc uerba: Iubeat Episcopus singulos per iuramentum, Notarijs qui omnia excipiant assidentibus, proferre in medium, Ecclesiarum suarum, Prælatorum quoque & populi, siue præsentium, siue absentium uitia grauia, quæ a Synodo corrigantur, absq; ullo personæ respectu: Si sit Pastor aliquis non legitimus, aut per uim intrusus: Si negligens officij, & incorrigibilis: Si in Clero quis Symoniacus, si hæreses suppullulent, si in officia diuina irrepant abusus: Si Prelatis aut Parocho bene præsidenti rebelles sint inferiores: Si ulli male præsideant: Si per tyrannidem potentiorum, aut iudicia iniusta opprimatur Ecclesia, populus, uiduæ, uel orphani: Si sacrilegia committantur: Si uiolentur Ecclesię iura: Si usurarij sint in Clero uel populo: Si incestuosi, si enormia crimina admittantur, a quibus nolunt desistere, aut agere pœnitentiam.

Ita admonitis præsentibus, & informatis, fecit Reuerendiss. D. Archiepiscopus omnibus potestatem siue scriptis siue uerbis sua proponendi, & si qui forte haberent negocia, quæ metu potentiorum ad Synodum deferre non auderent, ut ea clam apud Commissarios deponerẽt, quos sua Reuerendissima gratia ad hoc dare & ordinare uellet.

Ordine itaq; singuli uocati ad Reuerendissimi Archiepiscopi conspectum processerunt, ubi sua deposuerunt ut habebant parata, suntq; oẽs a Reuerendiss. ita auditi, ut tamẽ a remotioribus exaudiri nõ potuerint: & quæ attulerunt a Notarijs excepta. Nec cessatum ab ista inquisitione fuit, donec ullus superesset non auditus.

Omnium deinde consensu & sententia placuit, e singulis ordinibus delegere quosdam, qui denunciata ac proposita expenderent ac delibrarent, conciperentq; de eis suũ iudicium, quod ad totam Synodum uel probandum, uel emendandum, priusq; euulgaretur, referrent. Tẽpore per hęc negocia ultra meridiem fere lapso, dimissis ad sequentẽ diem cæteris, soli delecti a prandio reuersi sunt, & negocia quæ plurima erant, ut a multis delata, & plęraq; eiusdem generis, retulerunt in ordinẽ atq; compendium: deliberationeq; & collatione inuicẽ habita, sententiã suam iusserunt ad Reuerendissimum Dominum Archiepiscopum referre.

Quarta

Quarta Octobris, cum Reuerendiss. D. Archiepiscopus cum delectis sententiam suã fuissent scripto cõplexi, accitis ordinibus omnibus ad domũ Capitularem, Reuerendiss. D. Archiepiscopo præsidente, ac suffragia singulorum, quæ libere quisq; dare poterat, requirente, Sententia illa distinctis ac disertis uerbis uniuersis Synodi Patribus prælegebatur: quorũ suffragijs acceptis, omniumq; sententia atq; iudicio ad illam accedẽtibus, statim processum est ad sacrum solenne: quo peracto, publicatio facta est e papyro in uerba quæ sequuntur.

Reuerendissimus dominus noster Archiepiscopus Coloniensis, Princeps Elector &c. cupiẽs pro Pastorali suo officio Clerum & plebem secundum Reformationem a Cæsarea Maiestate præscriptam, & ab uniuersis Ecclesiasticis Imperij statibus receptam, dirigere atq; instituere. Primum omnium ipsam in Synodo præsenti, publicauit. Deinde a præsentis Synodi ordinibus omnibus inquirendum duxit de eis qui parerent, ac uitam suam secundum ipsam componere statuerent, & qui secus facerent.

In qua inquisitione & examine suorum Prælatorum, Abbatum, Decanorum, Statuumq; Ecclesiasticorum, hic præsentium, explorata ipsi facta est & comperta, præsentium omnium obedientia, qui se polliciti sunt huc omnes uires & studia sua conuertere uelle, quo & ipsi eam obseruent, & subditis suis obseruandam tradant atq; committant: quod clementer & cum gratia ab eis sua Reuerendissima gratia accepit.

Percepit quoq; absentium eorum qui repugnant & Reformationi parere detrectant inobedientiam atq; rebellionem. Cui occurrere & mederi statuit: partim Canonicarum pœnarum seueritate, partim in Visitatione, aut alijs opportunis remedijs, pro huius Synodi iudicio atq; sententia.

Et imprimis, quod ordines quidam indicarunt quosdam esse Pastores, Sacerdotes & Laicos, qui inordinate uiuerent, contra prædictæ Reformationis præscriptum, a quibus tamen admonitis de emendatione nondum retulissent responsum. Præcipit &

mandat Reuerendissimus dominus noster, cum præsenti Synodo, ut hi diligenter de eorum proposito in proximis eorum Capitulis inquirant. Eorumq; responsionem Reuerendissimæ suæ gratiæ denuncient, quo possit de ipsis secundum Sacros canones & Reformationem præsentem, iudicare atq; statuere.

Quod uero simul accepit quosdam esse Pastores & Sacerdotes inobedientes, qui Reformationi prædictæ & Ordinariæ suæ potestati subiacere ac parere plane recusarent, decreuit sua Reuerendissima gratia una cum præsenti Synodo, ut contra eiuscemodi rebelles & inobedientes, primum procederet Reuerendissimæ suæ gratiæ Fiscalis, eosq; ad parendum uia iuris compelleret: quod si non obtineret, statuit idem dominus Reuerendissimus se agere uelle cum Principibus & Magistratibus, quorum præsidio niterentur, secundum clausulam Reformationis, quæ ita habet, sub titulo de Disciplina populi: Principes seculares & Magistratus ciuiles, non patrocinentur eis qui in Clero & populo reformari detrectant, sed Episcopis & Prælatis Ecclesiæ sint auxilio, eorumq; decreta fideliter exequantur, & ordinem præscriptum cogant obseruare.

Iurisdictionem quoq; & libertatem ac immunitatem Ecclesiasticam, Imperatorum legibus & sacris Canonibus Episcopis & Clero tributam ac firmatam, tueantur, ipsisq; conseruẽt, &c.

Decreuitq; omnino sua Reuerendissima gratia, non desistere, etiamsi ad Cæsaream Maiestatem res sit deferẽda, Donec eiuscemodi rebelles ad obedientiam & emendationem perducantur.

De apostatis uero, profugis monachis & monialibus, quos uotorum & Religionis suæ immemores accepit Reuerendissima sua gratia, cum Synodo, extra Prælatorum & Superiorum suorum obedientiam passim in Diœcesi & prouincia sua uagari & se continere, Alicubi etiam sub magistratuum secularium defensione: sanciuit & ordinauit Reuerendissima sua gratia cum præsenti Synodo, secundum formam præsentem:

DOLPHVS DEI gratia sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Sacri Romani Imperij per Italiã Archicancellarius, Princeps Elector, Vuestphaliæ & Angariæ dux, Legatusq; natus &c. Vniuersis & singulis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Canonicis, Plebanis, altarumq; Ecclesiarum, Collegiatarum, Parochialium, Monasteriorum, Conuentuum utriusq; sexus, Ecclesiastici status, Capellanis, Altarium rectoribus, Vicarijs, Presbyteris & Clericis, Ciuitatis & Diœcesis nostræ Coloniensis, Salutem in Domino sempiternam. Cum nihil æque deceat hanc sacram Synodum procurare, quã ut suæ qui sq; uocationi ac ꝓfessioni satisfaciat. Id quod & Cæsareæ Maiestatis Reformatio exigit, & Religionis, iam propemodum per insolentes, ac professionis suæ desertores, confusæ ac perturbatæ restitutio postulat. Hinc decernimus, mandamus, ac præcipimus, ne quis posthac Monachos uel Monachas fugitiuos, & extra Superiorũ suorum obedientiam uagantes, recipere, fouere, aut ad Sacramenta uel Ecclesiastica ministeria admittere ausit, sub Excõmunicationis pœna, qua & sacri Canones feriũt eos, qui huiuscemodi fugitiuis Apostatis, atq; Excõmunicatis cõmunicant. Eos uero qui sub dispensationum Apostolicarum prætextu, extra Monasteria sua degunt, uolumus, ut dispensationes suas, quas plerunq; subrepticie, uel allegatione causarum falsarum impetrant, nobis exhibeant examinandas, et uocatis eorũ Superioribus, ac quorum intererit, discutiendas. Datum in Ciuitate nostra Coloniensi. Anno Domini Millesimo, quingentesimo, quadragesimo octauo, die secunda mensis Octobris.

Insuper decreuit eos omnes nominatim persequendos committere suo Fiscali, donec resipiscant, & ad obedientiam reducantur.

At uero de ijs monachis, monialibus & Sacerdotibus, qui iam coniugia inierunt, & in connubio incestuoso perseuerant, statuit & decreuit Reuerendissima sua gratia, una cum præsenti Synodo, secundum formam quæ hic sequitur:

DOLPHVS DEI gratia sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Sacri Romani Imperij per Italiã Archicancellarius, Princeps Elector, Vuestphaliæ & Angariæ dux, Legatusq; natus &c. Vniuersis & singulis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Canonicis, Plebanis, aliarumq; Ecclesiarum, Collegiatarum, Parochialium, Monasteriorum, Conuentuum utriusq; sexus, Ecclesiastici status, Capellanis, Altarium rectoribus, Vicarijs, Presbyteris & Clericis, Ciuitatis & Diœcesis nostræ Coloniensis, Salutem in Domino sempiternam. Volentes tranquillitati Sanctæ Ecclesiæ nostræ consulere, & errorem, unde grauissimæ perturbationes, non in Ecclesiasticis modo rebus, uerumetiam in ciuilibus oriri possent, penitus tollere, iuxta Sanctorum Patrum decreta, sacros Canones & leges, una cum hac sancta Synodo matura deliberatione præhabita, decernimus & declaramus, prophanas, illicitas, & nusquam tolerandas esse nuptias, quas uel Monachi, uel Moniales, Religionẽ aliquam solemni uoto professi, uel Sacerdotes post hunc gradũ, contraxerunt, prolesq; inde susceptas, illegitimas esse, nec aliter q̃ spurios & nothos habendas, ac proinde hæreditario nomine parentibus suis, neq; in mobilibus neq; in immobilibus succedere posse aut debere. Quæ non noua aut recens est sanctio, sed peruetusta, semper in Ecclesia recepta, Imperatorumq; legibus & Sacrorum Canonum authoritate firmata, ac usu longæuo probata. Datum in Ciuitate nostra Coloniensi. Anno Domini, millesimo, quingentesimo, quadragesimo octauo, die secunda mensis Octobris.

Quo uero tales ad resipiscentiam & dignam satisfactionem reducantur, Statuit præterea Reuerendissima sua gratia eos nominatim committere ubicunq; locorum agant intra Diœcesis suæ fines Fiscali, coram inquisitoribus uel iudicibus ordinarijs persequendos.

Cum eis uero qui resipiscentia ducti sponte redeunt ad Ecclesiam, Reuerendissima sua gratia pollicetur misericorditer & clementer se acturam.

Ad eundem omnino modum statuit Reuerendissimus dominus noster una cum præsenti Synodo agere & procedere uelle per suum Fiscalem & inquisitores contra Sacerdotes, Clericos & Laicos de Hæresi & schismate suspectos, aut sortilegia, uel diuinationes & similia, diuina lege grauiter prohibita, exercentes, præcipitq; ac mandat Decanis & Pastoribus, in quorum territorio uel Pastoratu se continent, ut eos præcipiant populo uitandos, ne plebs inde contagionem accipiat. Sunt & alia pleraq; uicia Reuerendissimo domino nostro & præsenti Synodo exposita, de quibusdam non bene præsidentibus Pastoribus, aut intrusis, concubinarijs ac tyrannis, qui per uim & iudicia iniusta opprimunt clerum, immunitatesq; Ecclesiasticas, populum, uiduas, & orphanos: De sacrilegijs item, homicidijs, adulterijs & uitijs similibus, quæ quoniam non ad omnes pertinent, statuit Reuerendiss. dominus noster una cum Synodo, in Visitatione, per se uel suos Visitatores exactius ac diligenter inuestigare, ac iuxta Canones & Reformationem præsentem, corrigere & emendare.

Porro quod Decani & Pastores quidam petiuerunt declarationem & moderationem mandati, per Reuerendissimum dominum nostrum contra concubinarios Sacerdotes & concubinas editi, quas sua Reuerendissima gratia cupiens Reformationem Cesa. Maiest. exequi, mandauerat eijcere extra ipsam Parochiam: deliberatione cum Synodo habita, consideratq; Parochiarum quarundam amplitudine, aliarum uero angustia, Declarat Reuerendissimus dominus noster cum Synodo, eijciendas e uicinia concubinas, ita ut commertijs non detur occasio, & suspiciones omnes uitentur.

Quod item petiuerunt Decani & Pastores quidam, quomodo se habere debeant in administratione Sacramenti Eucharistiæ, quod quidam peterent tanq̃ a Cæsarea Maiestate permissum quibuslibet sub utraq; specie sibi exhiberi, Declarat & exponit idem Reuerendissimus dominus noster cum præsenti Synodo, Cæsaream Maiestatem Communionem duplicis speciei Laicis Catholicis minime permisisse, sed expresse & disertis uerbis a Catholicis statibus, & eorum subditis exigere, ne quid in Sacramentorum administratione, præter Ecclesiæ consuetudinem immutent, aut immutari in suis ditionibus ullo pacto permittant.

Cui Cæsareæ Maiest. ordinatiõi uult Reuerendiss. dominus noster, tanq; Archiepiscopus & Princeps per Dei gratiam catholicus, fideliter & obedienter per omnia obtemperare: Omnibusq; præcipit & mandat cum tota Synodo, usq; ad generalis Concilij definitionem obtemperandum.

Propter quosdam, qui metu potentiorum forte deterriti, nõ ausi fuerũt negocia & grauamina ipsis cognita ad Synodum palã referre, ordinat & statuit Reuerendiss. dominus noster suum Commissarium in hac parte, reuerendũ D. Ioannem Episcopum Cyrenensem suum Suffraganeum, quem possint secreto ac libere adire, & ea omnia tuto exponere, quo Reuerendiss. D. noster de rebus ipsis, suppressis deferentium nominibus informatus, possit eiusmodi negocijs & grauaminibus remedium ac medelam adhibere.

Præterea ubi Reuerendiss. suæ Gratiæ non erit commodum personaliter uisitare, designat & ordinat præcipuum Visitatorẽ eundem reuerendum D. Episcopum Cyrenensem, cui pro temporum, locorum, & causarum ratione ac dispositione, plures idoneos Visitatores ac cooperarios adiunget: eosdemq; uobis in patentibus suis literis, quas eisdem dabit, significabit.

Cæterum, si quæ occurrãt Visitatoribus Reuerendiss. domini, aut etiã eius Fiscali & Cõmissarijs, quæ in præsens emendationẽ facilem non admittant, eiuscemodi omnia decretum est reseruare, ac reijcere in futuram Synodum suam prouincialem, quæ feria secunda post dominicam Inuocauit, fauente & propitio Deo, celebrabitur.

Pœnitentiarios uero Confessores uult Reuerendissimus Dominus noster suo opportuno tempore ordinare.

Actum, conclusum, & pronunciatum in publico Synodi conuentu, Coloniæ, Anno Domini M. D. XLVIII. die quarta Octobris.

Sententiã per Secretarium e suggestu recitata, statim cantarunt, Te Deum laudamus. & Antiphonam, Da pacem Domine. quibus Reuerendiss. dominus Archiepiscopus submisit Collectam, & Synodum omnem cum Archiepiscopali benedictione dimisit.

MANDATVM DE SVPPLICATIONIBVS PRO REFORMATIONE ECCLESIÆ FACIENDIS.

ADOLPHVS DEI GRATIA Sanctæ Coloniensis Ecclesiæ Archiepiscopus, Sacri Romani Imperij per Italiam Archicancellarius, Princeps Elector, Vuestphaliæ & Angariæ dux, Legatusq; natus &c. Vniuersis & singulis Abbatibus, Prioribus, Præpositis, Decanis, Canonicis, Plebanis, aliarumq; Ecclesiarum, Collegiatarum, Parochialium, Monasteriorum, Conuentuum utriusq; sexus, Ecclesiastici status, Capellanis, Altarium rectoribus, Vicarijs, Presbyteris & Clericis, Ciuitatis & Diœcesis nostræ Coloniensis, Salutem in Domino sempiternam.

Quando uertimus oculos nostros, ad superiores annos, omni dissensiõe plenos, qua regna cum regnis, Principes cum Principibus, Oppida cum Oppidis, Ciues cum Ciuibus intestino bello concertabant, atq; uaria hæreticorum uersutia obnoxios, qua firmi in fide fatigabantur, infirmi capiebantur, medij cum scrupulo dimittebantur, latenti sane & atroci persequutione, non martyres Christo, sed apostatas multiplicante, non possumus satis uobis exponere, atq; uerbis explicare, quantas arbitremur, & uelimus Domino deo, optimo maximo, agendas esse gratiarum actiones, quantasq; eidem debeamus, pro ingenti suo, insperatoq; beneficio: Qui infinita sua misericordia, & inenarrabili clementia, ita noxias dissensiones e medio sustulit, ita imposturas hæreticorum & sectariorum suæ Ecclesiæ catholicæ manifestauit, ut modo ad eam uenerimus pacem, & concordiam, sine qua, neq; in hac Diœcesi nostra, uobiscum, & cum Suffraganeis nostris, neq; in alijs paræcijs Episcopalibus, de fidei negocijs, de corrigendis emendandisq; moribus, in commune consulere licuisset. Quod nunc per totam Germaniam fœlicitcr fieri haud obscure intelligitis, atq; animaduertitis.

Accepta quidem hæc merito ferimus Dei omnipotentis bonitati & misericordiæ, gratoq; animo commemoramus. Verum tamen istud non minus meditari, perpenderiq;, nisi prorsus Domino deo ingrati esse uelimus, operæ precium est. Quod ad remouen-

da flagella ista, nostris peccatis & criminibus iuste inflicta, Potentissimum Principem, & inuictissimum Imperatorem CAROLVM QVINTVM, Dominum nostrum clementissimum, singulari uictoria decorauit, admirabiliq; exaltauit triumpho: Quando eius catholica Maiestas Imperio Romano rebelles, in ordinem coegit, quando præfractos subiugauit, cunctatione querens communem pacem, non ullo modo sanguinem sitiens confligendo. Quæ profecto heroica, diuinaq; uirtus est, rebus mortalium, ubi afflictæ turbataeq; sunt, conciliandis pacandisq; cœlitus concessa.

Porro, si toti corpori domini nostri IESV CHRISTI, quæ est Ecclesia, recte erit consultum, ut sit in unitate spiritus, & uinculo pacis, ad quod seruandum diuus Paulus, nos uult esse sollicitos, ne qua membra suo desint officio, opus erit & œcumenico Concilio, multis annis expectato, iamdudum apud Tridentum aperto, attamen sine fine hærente, & nondum absoluto, (licet multo aliter pij uiri & Ecclesiæ amatores habuerint in uotis). Quare precibus & obsecrationibus iugiter est interpellandus Dominus noster IESVS CHRISTVS, ut spiritu suo sancto impartito, eam habeat Synodus nostra, cum alijs Episcopalibus, & Prouincialibus successum, eum Reformatio, secundum quã uos uiuere, moresque componere decebit, adferat fructum, quo ex Synodo Episcopali ad Prouincialem, a Prouinciali ad œcumenicam in spiritusancto concorditer finiendam, instructiores, paratioresq; ueniamus.

Hisce de causis, omnibus & singulis uobis mandamus, ut in uestris Ecclesijs, Monasterijs, & Conuentibus, tribus diebus Dominicis, & Festis interim occurrentibus, harum literarum publicationem immediate sequentibus, populum uobis subiectum in concionibus admoneatis, & hortemini, ad dicendas gratiarum actiones pro accepta pace, pro Cæsareæ Maiestatis uictoria, & ad precandum pro uera totius Ecclesiæ, imprimis autem ministrorum eius, fructuosa emendatione, & œcumenici concilij salubri consummatione: Qua cum aliæ nationes, tum præcipue Germanica opus habebit, ad dissensionum & hæresum reliquias, plane exterminandas.

Cæterum, quo preces populi in ministerio uestro, Deo omnipotenti cumulatius offerri possitis: Præcipimus ijsdem diebus Dominicis & Festis, in sacræ Missæ officio, decantari Collectas modo sequenti: Primam diei, quæ alioqui seruata fuisset. Secundam, pro concordia: Deus largitor pacis. Tertiam, pro omni gradu Ecclesiæ: Exaudi quæsumus Domine. Quartam, pro Imperatoria Maiestate: Deus regnator omnium. Vltimam, de Sanctis: A cunctis nos Domine quæsumus.

Fiduciam etenim hanc habemus erga Deum, qui nos a dissidijs liberauit, quod in posterum ab omnibus hostibus & periculis sit erepturus, adiuuantibus Deiparæ uirginis MARIAE, aliorumq; Sanctorum, & piorum hominum precibus. Quæ diligenter exequendo, nostram perficietis uoluntatem, & rem toti Christianæ communitati necessariam. In fidem & testimonium præmissorum, sigillum nostrum hisce literis est impressum. Datum in Ciuitate nostra Coloniensi, Anno Domini Millesimo, quingentesimo, quadragesimo octauo, die prima mensis Octobris.

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DE GRANADA